



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Dæmones.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](#)

Cherubinorum scientiâ redundare. Seraphino-
eum face caritatis in Deum ardere. Prima au-
tem divisio videtur esse facienda in Angelos tan-
quam inferioris, & Archangelos tanquam or-
dinis superioris. Porro Angeli in infernum
præcipitati vocantur

Damonēs.

ET hi varia in S. Script. habent nomina.
Tob. 3. Demonium nomine Asmodeus occi-
derat septem viros Saræ, mox ut ingressi fuissent
ad eam. Derivatur nomen hoc ab Esch, id est,
Ignis & Meda à regno Mediæ, quia toto illo
regno ignem libidinis excitabat, & sic Dæmo-
nes nomen sortiuntur in hoc mundo vel à locis,
in quibus grassantur (& hinc vocantur Ignei,
Aerii, Terrei, Aquei, Septentrionales, Australes,
&c. Tenebriones, Cacodamones seu Sepulchrates)
vel à vitiis, ad quæ potissimum impellunt, &
tales vocantur Spiritus superbiæ, acediæ, iræ,
fornicationis, gastrimargiæ, &c. Porro ad me-
liorem scripturæ intelligentiam quædam hic
explicanda videntur, quæ in Script. Sacrâ de
Angelis tum bonis tum malis recensentur.

Quæres imo. An unus Angelus bonus oppo-
nat se alteri, & quis sit ille Princeps regni Per-
sarum, qui Dan. 10. restitit Gabrieli viginti
& uno diebus. *R.* Sicut ex infimo ordine An-
gelorum Præsides & Custodes à Deo assignati
sunt singulis hominibus, ita singulis provinciis
& regnis ex tertio ordine neimpè *Principatum,*

12. *Pars secunda de elevatione*
& sic suos etiam Diabolos Lucifer regnis & pro-
vinciis præponit, putantque Cassian. Prospet,
&c. eum, qui restitit Gabrieli, ne reduceretur
ex Perside ad Palæstinam Judæorum populus,
fuisse Dæmonem à Luciferō præpositum regno
Persarum. Sed communis est SS. PP. alio-
rumque sententia, eum fuisse bonum Ange-
lum regno Persarum tutando & promovendo
à Deo præpositum. Et hic, tum ut Judæi diu-
turniores scelerum suorum pœnas fuerent, tum
ut gentiles Persæ plures verâ Dei notitiâ & lego
ab iis imbuerentur, conabatur contratiis Ga-
brieli precibus & rationibus impedire redditum
Judæorum ex Persia in patriam suam. Donec
*Michaël unus ex Principibus primis [juxta com-
muniorem supremus tertiae Hierarchiæ vel eti-
am omnium Angelorum Princeps] venit in ad-
jutorium Gabrieli, & intimavit Angelo Persæ
præsidi, Deum velle, ut Judæi in Palæstinam
redeant.*

Reflecte, quod non tantum Angelum Tu-
telarem tuum, sed etium patriæ, regni, &c.
in quo es, colere & venerari debeas.

*Quomodo Conventui honorum Angelorum
intersit Satan.*

QUæres 2. An Deus cum Angelis bonis &
malis habeat subinde conventus? cùm
Jobi 1. dicatur: *Quædam die, cùm venissent filii
Dei, ut assisterent coram Domino, adfuit inter
eos atiam Satan.* *N.* Deus, licet omniscius, &
Ange-